



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno I. usque ad IV.

Luxemburgi, 1740

CXXVIII. Confirmantur privilegia, gratiæ, facultates, & indulta Collegii
Montis Alti Civitatis Bononien., ac præcipue quæ Cardinali Protectori
concessa sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74733)

que Sanctorum Locorum manentio, in quibus Redemptio nostra operata est. Inde presentium vigore rogamus, monemus, & exhortamur RR. PP. VV. in visceribus Jesu Christi, ne se excusent, ac retrahant in cooperando, quantum valeant ad praefatum effectum, concedentes ac designantes R. P. Commissario Terrae Sanctae Religiosos uniuersiusque Provinciae nostrae ad instantiam & beneplacitum ejusdem P. Commissarii in quaestores elemosynarum tam in eo Regno quam Brasili, aliisque Ditionibus, & quidem eos, qui qualitatibus ad id necessariis & opportunis sint praediti, uti de zelo & religiositate PP. VV. confidere debemus. Quibus paternam nostram benedictionem impertimur.

Datum in hoc nostro Conventu Sancti Francisci Mariti die 18. Septembris 1733.

Fr. Joannes Soto Minister Generalis.

De mandato S. P. Reverendissimae Fr. Didacus Spinosa Secretarius Generalis Ordinis.

§. 2. Cum autem, sicut eadem expositio sub-jungebat, praedictus modernus Commissarius Generalis, exponens praemissa, quod firmiter subsistant, & seruentur exactius, Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret; Nos ipsius moderni Commissarii Generalis exponentis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet inodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus, ejus nomine Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinatis, praesertim ejusdem Joannis Ministri Generalis literas patentes, auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus & approbamus; illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus; ac omnes & singulos juris & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

§. 3. Decernentes, easdem praesentes literas semper firmas validas & efficaces existere & fore, suosque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat & pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Caesarum Palatii Apostolici Auditores, judicari & definiti debere, ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis & Provinciarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus & singulis, illorum tenores praesentibus pro plene & sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter & expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majoram sub Annulo Piscatoris die 13. Februarii 1734. Pontificatus Nostri Anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Confirmantur privilegia, gratiae, facultates, & indulta Collegii Montis Alti Civitatis Bononien. ac praecipue quae Cardinali Protectori concessa sunt.

C L E M E N S P A P A X I I .

Ad perpetuam rei memoriam.

EX injuncto Nobis caelitus Apostolicae servitutis munere illa, quae ex circumsperta Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum providentia in favorem ac commodum Collegiorum ad rectam piamque Juventutis educationem, & literarum Studii, aliisque laudabilibus Disciplinis instructionem, ubique, ac praesertim in temporali Sanctae Romanae Ecclesiae Ditione institutorum salubri consilio emanasse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, Apostolici muniminis nostri praesidio, cum a nobis petitur, libenter corroboramus.

§. 1. Dudum siquidem fel. record. Sixtus PP. V. Praedecessor Noster, Collegium Montis Alti nuncupatum in Civitate Bononien. a se fundatum & erectum, illiusque Rectorem, Scholares, Cappellanos, Oeconomos, Officiales, Ministros, ac personas & bona univversa ab omni pro tempore existentium Sedis Apostolicae in praedicta Civitate Bononien. de latere Legati, & Archiepiscopi Bononien. & quorumvis aliorum Judicum superioritate & jurisdictione: necnon a quorumcumque pedagiorum impositione, ac subsidiorum solutione exempti: ipsique Collegio, ejusque Colonis, Conductoribus, & Emphyteutis frumenta, aliasque fruges ex possessionibus dicti Collegii provenientes de quibusvis Provinciis, Terris, & Locis, eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subjectis, cujusvis licentia desuper minime requisita, & absque alicujus pecuniae vel alterius rei solutione & praestatione extrahendi, & ad praedictum Collegium pro illius usu conducendi, & etiam illas in praefata Civitate Bononien. illiusque Comitatu, ac reliquo Statu Ecclesiastico vendendi, & de illis ad eorum libitum disponendi: pro tempore vero aliter existenti Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali ejusdem Collegii Protectori ac Judici ordinario, Officiales & Ministros deputandi, statuta condendi, omnesque lites & causas civiles, criminales, & mixtas, dictum Collegium illiusque personas, res & bona quomodolibet concernentes, tam activas quam passivas, etiam illas a quibuslibet Judicibus avocando, privative quoad omnes & singulos alios Judices ordinarios & delegatos eorumque Curias, & Tribunalia audiendi, cognoscendi, & sine debito terminandi facultatem tribuit: diversaque habeat privilegia, facultates, praerogativas, gratias, & indulta eidem Collegio illiusque personis, rebus & bonis concessit ac largitus est, & alias, prout in ipsius Sixti Praedecessoris literis desuper sub plumbo anno Incarnationis Dominicae 1588. decimoquinto Kal. Decembris expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene & sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 2. Cum autem, sicut dilecti filii Rector & Scholares Collegii praedicti Nobis nuper exponi fecerunt, praefati Sixti Praedecessoris literae, ac in eis contenta, haecenus illibate, ut par erat observata, fuerint, ac etiamnum plenum obtineant vigorem: privativaque jurisdictione Cardinali Protectori, sicut praemittitur, attributa geminis etiam rescriptis Signaturae Justitiae, ac novissime decreto

CXXVIII.

Dat. die 16.
Feb. 1734.
Pont. An. IV.

Exordium.

Collegium
hoc a Sixto
PP. V. fun-
datum.Et privilegiis
ornatum.Privativa
Cardinali
Protectori
attributa ju-
risdictio.

per

per bon. mem. Prosperum dictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Marefufcum nuncupatum, dum rec. mem. Clementis PP. XI. Prædecessoris quoque nostri Auditorem agebat, edito, judicialiter asserta ac vindicata fuerit, ipsamque Collegium non sine ingenti studiose Juventutis in eo degentis progressu, ac Universitatis studiorum generalium dictæ Civitatis Bononien. decore & ornamento nunc quoque eximie florere dignoscatur; quia tamen solidius subsistunt, quæ hujus S. Sedis sæpius fulciuntur auctoritate, ipsi Exponentes, præmissa Apostolicæ confirmationis nostræ robore communiti, summopere desiderant; Nos eisdem Exponentes specialibus favoribus & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes & absolutas fore censentes, supplicationibus illorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tam enarrata quam quæcumque alia privilegia, exemptiones, facultates, jurisdictionem, prærogativas, gratias, & indulta, memorato Collegio, ejusque personis, rebus, & bonis, ac S. R. E. Cardinali dicti Collegii Protectori & Judici ordinario, & aliis quomodolibet ab eodem Sixto prædecessore, ut præfertur, concessa, expeditaque desuper illius literas prædictas cum quibuscumque in eis contentis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus & confirmamus, ac illis omnibus & singulis perpetuæ atque irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, patrocinium, & præsidium adjicimus.

§. 3. Decernentes, ipsas præsentis literas semper firmas, validas & efficaces effectus sortiri & fore, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere; ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quomodocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter & inconcussè observari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Camerarium, seu Pro-Camerarium, & alios Cardinales, etiam de latere Legatos, necnon Cameræ Apostolicæ Præsidentes Clericos, cæterosque Officiales & Ministros, & alios quoscumque quacumque præminentia & potestate fungentes & functuros, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, ac quibuscumque posterioribus Decretis, Chirographis, & Cedulis motorum priorum, necnon omnibus & singulis illis, quæ in supradictis Sixti prædecessoris Literis concessa sunt, non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram, sub Annulo Piscatoris die 16. Februarii 1734. Pontificatus Nostri anno Quarto.

F. Card. Oliverius.

Confirmatio Constitutionum pro Fratibus & Sororibus Tertii Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis in Brasilia.

C L E M E N S P A P A X I I .

Ad futuram rei memoriam.

EX injuncto Nobis cælitus Apostolicæ servitutis munere ea, quæ pro felici Conventuum, aliorumque Locorum piorum regimine, salubrique in eis Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo assidue famulantium directione, provide statuta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque inviolata persistat, Apostolici muniminis nostri, cum id a Nobis petitur, præsidio libenter constabilimus.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Uguccio Maria Diez y Quarozma, Frater expresse Professus Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis, natione Brasiliensis, quod cum ipse ex America ad Almam Urbem nostram venerit, ut tam suo quam dilectorum filiorum Antonii Das Merces de Maria, Josephi Pereyra de Fygueredo & Antonii Peccatoris nomine impetraret a dilecto etiam filio moderno Priore Generali Ordinis præfati licentiam fundandi in Brasilia Conventus Fratrum ac Sororum Tertii Ordinis eorumdem Servorum Beatæ Mariæ Virginis, sub quibusdam peculiaribus Constitutionibus ac legibus, ad Christianæ pietatis studium conducentibus, ultra Regulas a fel. record. Martino PP. V. Prædecessore Nostro pro ejusmodi Fratibus & Sororibus præscriptas, idem Prior Generalis vigore facultatis sibi ad id tum per literas memorati Martini Prædecessoris generaliter, tum per Nos specialiter attributæ, petitam licentiam indulsit, dictasque Constitutiones approbavit, tenoris, qui sequitur, videlicet:

Constitutiones Fratrum, & Sororum Tertii Ord. Servorum Beatæ Mariæ Virginis, vita Comuni viventium in Brasiliis.

De sine sibi præfigendo a Fratibus & Sororibus.

I. Duo sub faustis auspiciis ac patrocinio Sanctissimæ Virginis singularibus, continuis studiis debent sibi præfigere Fratres ac Sorores Tertii Ordinis ejusdem, una simul in Brasiliis viventes: Primum, sibi vacare, ut quibus possunt exquisitioribus mediis perfectionis bravium assequantur: Alterum dare operam proximis, ferreque iis opem in spiritualibus, corporalibusque earum indigentis: Hinc ut rei utriusque fiat satis, pro viribus in primis unicuique Conventui juncta sit Ecclesia, & unicuique Ecclesiæ conjuncta sint duo Xenodochia, omnino ab invicem separata, & ad latera Ecclesiæ hinc inde disposita, ita ut in cornu Evangelii sit Xenodochium pro hominibus, quibus ministrant Tertiarii: in cornu Epistolæ Xenodochium pro feminis, quibus inserviant Tertiariæ; Ecclesia vero inter utrumque mediet, in qua duo construuntur Chori ad divinas laudes persolvendas: unus pro Fratibus, alter pro Sororibus, sintque inter se omnino sejuncti.

De reverentiis Beatæ Mariæ Virginis.

II. Quoniam Fratres & Sorores Tertii Ordinis Servorum sub protectione speciali Beatæ Mariæ Virginis Deo militantes, æquum est, ut eam specialibus obsequiis & reverentiis, inter divina præcipue, prosequantur; Idcirco in quacumque

CXXIX.

Dat. die 17.
Febr. 1734.
Pont. An. IV.

Proœmium.

Constitutiones: d
confirmandum
propositæ.

Ecclesia,

Quæ omnia Apostolica auctoritate roborantur.

Clausula.